

1+2/80

KALENDIS FEBRVARIIS

MCMLXXX



RVMOR VARI



RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRIGIENSI in aedi-
bus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio : CCCXXX

Præmium subnotationis :
(annum)

In Helvetia Fr. 8.80
In Germania DM 11.--
In Austria SS 90.--
In ceteris
Europæ terris Fr. 13.--
In terris trans
maria sitis Fr. 18.--

Singula specimina, qui
rogaverit, gratis accipiat

Collegium redactorum :

Ulricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patricius Hardmeier
Martinus Meier

Impressum et dispositionem
rerum legentibus publican-
darum curat :

Patricius Hardmeier

Typographeum :

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarum :

Schweizerische Bankgesell-
schaft
RVMOR VARIVS 806.13/4 J 1 A

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TURIGIENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 Mal
jährlich.

Auflage : 330

Abonnementspreis :
(jährlich)

Schweiz Fr. 8.80
Deutschland DM 11.--
Oesterreich SS 90.--

Ubriges Europa Fr. 13.--

Uebersee Fr. 18.--

Einzelne Probenummern kün-
nen gratis bezogen werden

Redaktionsteam :

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patrick Hardmeier
Martin Meier

Graphik und Layout :

Patrick Hardmeier

Druck :

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse
(Briefe, Korrespondenz) :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen :

Schweizerische Bankgesell-
schaft
RVMOR VARIVS 806.13/4 J 1 A

PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus amicis salutem di-
cit!

Iam novus annus, quin etiam novum decennium co-
epit, cari amici! Spero id non modo vobis, qui
has meas lineas legetis, sed hominibus totius
orbis terrarum faustum futurum esse, cum his ip-
sis primis diebus novi anni super totum mundum
permulta mala a dea Pandora fusa esse videantur!

Bene accidit, ut apud nos Helvetios pax adhuc
semper servari potuerit! Non dubito, quin non-
nulli vestrum hāc pace fruentes vehendo angustis
tabulis ligneis* pedibus affixis in altis mon-
tibus feriis inter diem natalem Christi et pri-
mum diem novi anni fructi sint!

Profecto nos redactores, qui Rumorem Varium edi-
mus, non omnibus illis diebus festis otio frue-
bamur; immo negotio Rumori Vario utili a.d.V.
Kalendas Ianuarias MCMLXXIX Turici in aedes
AKADis convenimus, ut de sorte, quae libello
nostro futurā esset, disputarem. Inter alios
redactores hoc in consilio aderat amicus noster
Dr. Emanuel Bernard, vir doctissimus linguae La-
tinae peritissimusque, quem auctorem multarum
fabularum excellentium adhuc in Rumore Vario di-
vulgatarum iamdudum novistis. Cuius imaginem a
Patricio Hardmeier machinā photographica* de-
pinctam huic praefationi additam videtis, erunt
autem in singulis libellis futuris temporibus
etiam reliqui sodales, qui Rumorem Varium edere
solent, depincti, ut non modo semper fabulas,
sed etiam facies eorum, qui vos alternis mensi-
bus huius anni epistulis delectare velint, nos-
catis!

* angusta tabula lignea der (einzelne) Ski
angustis tabulis ligne-
is pedibus affixis vehi skifahren
machina photographica der Fotoapparat



Denique quid dicam de argumentis, quae hoc exemplar libelli compleant? Nescio; ea enim nondum legi. Tantum scio Patricium Hardmeier commentarios, quos de legibus XII tabularum scribere coepit, etiam in hoc libello peragere: Nobis harum legum secundam explicat. Litterae eius nuper de primā earum legum scriptae mihi aequae placuerunt ac reliquae epistulae, quae in superiore libello divulgatae sunt! Opto, ut hodie vobis idem accidat epistulis, quae in hōc praesenti libello legantur! Porro, ut quam plurimi vestrum, cari lectores, nobis et hōc novo anno quam plurimas epistulas (Latine scriptas!) publicandas mittant! Si ita facietis, maxime ad florentem vigentem libellum contribuetis! Semper mittatis epistulas vestras - ut soliti estis - socio nostro Dr. Jürg Bleiker, Bergstrasse 22, 8353 Elgg.

Omnibus, qui huic desiderio meo obtemperabunt, iam hodie gratias maximas ago!

Curate, ut valeatis!

Ulricus Aeschlimann redactor

DE FERIIS AROSÆ ACTIS NARRATVR

Solis die, qui fuit anni praeteriti dies paenultimus, Arosam profectus sum unā cum uxore mea idque non alio consilio nisi ut caeli mutatione uteremur atque dies aliquot quieti daremus. Quis non novit Arosam, illum locum montanum ad corpora recreanda maxime idoneum!

Plerique quidem viatores, iuniores imprimis, illuc solent proficisci, ut per clivos nivosos devehantur asseribus planis usi, quos pedibus affigunt. Quorum asserum partes humo adversas nimirum, ut super nivosos clivos quam velocissime labantur, lubricissimas esse oportet. Quae necessaria condicio asserum iuvenibus magnae curae est, utpote qui alius alium velocitate superare cupiant. Nobis autem, qui artis asseribus illis utendi parum periti simus, alia in Alpibus hibernis oblectatio superest nulla nisi ut cottidie sub Jove sive sereno seu pluvio seu ningente fortiter ambulemus, quantum vires sinunt, per amoenas semitas silvestres et campestras; Et re vera plurimae exstant semitae apertae beneque munitae, quae nos per regionem alpinam longis circuitibus ducunt. Quam iucundum est deambulare per loca silentia, per silvas lucidas, ubi abietes et pinūs parvo sunt incremento, ut in Alpibus scilicet.

Sciurus est animal parvum eximia venustate magnoque viatoribus oblectamento. Plurimi prope semitas obversantur vel in ramis arborum sedentes magnisque oculis curiosi viatorem spectantes vel

usque in mediam viam nobis appropinquantes minime timidi, quia sunt adsuefacti bonis moribus praetereuntium speque escae alicuius obtinendae adducti pericula parvi ducunt. Plerique viatores, imprimis generis feminini, magnopere his delectantur sciuris nuces apportantes et micās et rapas aliaque ad vescendum apta. Etenim sciuri tempore hiberno nimirum semper esuriunt, utpote cum arbores terraque nive plurima operta escam quasi nullam praebeant. Quae cum ita sint, mirum non est sciuros hieme hominibus tam familiares esse, ut vel in umeros ambulantium nitantur et, ab umeris superne spectantes, cibum accipiant.

Ceterum alia animalia vix obversantur nobis praeter aves alpinas neque est periculum, ne lupi vel ursi vel aliae bestiae minaces obviam fiant. Itaque quieti, sine ullo timore ambulamus, sciurorum praesentiā tantum delectati, per longas semitas, nive sub pedibus fremente; saepe autem de via decedendum est obviam venientibus, cum sint semitae angustae multique iam homines, qui curatione Arosana utuntur, sciant, quam sit iucundum ibi ambulare. Multi obvientes oriundi sunt ab externis nationibus, sicut nonnunquam vocabula peregrina, exempli gratiā Gallica, Britannica, Italica vel etiam Hispanica auribus percipiamus neque umquam otium molestum oriatur, immo vero ut nihil iucundius esse existimem quam in silvis campisque Arosanis ambulare. Pro Iupiter! Invidendum non est illis, qui asseribus pedibus affixis quam velocissime per clivos devehuntur. Delectentur (per me licet) velocitate, quantum velint! Sibi quisque quaerat, quod sibi placitum est! Me quidem iuvat ambulare neque quicquam aliud praeterea cupio.

Attamen me non posse confiteor ambulare diem totum. Tandem aliquando defatigamur et coniunx et ego. Quid tum? Revertamur ad deversorium nostrum an intremus thermopolium vel cauponam quandam?

Prout nobis est animus. Sub quartam sane horam post meridiem ad deversorium reverti taedet, cum ibi aliud agere non possimus nisi cubiculum petere, cubare et quieti nos dare, cenae horam expectantes, vel in taberna liquorum sedere, sermonem habentes cum aliis hospitibus, quod non minus taedere solet.

Itaque saepissime deversorium, quod "Kulm" appellatur et elegantissimum Arosae habetur, intravimus, potum aliquem sorbentes et placentas comedentes. Placentae imprimis coniugi meae placent, quamvis quam paucissimas consumere debeat, ne obesior fiat. At eheu! Placentis tantopere delectatur, ut obesitatem nihil curet. Neque ego sum, ut verum dicam, illā prudentior. Placentae quidem mihi periculo non sunt, at vinum! Vino quasi semper delector, cum est bonum. Bonum esse oportet. Alioquin repudio. At in deversorio "Kulm" optimum est, et cum sit optimum, bibo, bibo, bibo usque ad punctum temporis, ubi coniunx minantibus oculis dicit: "Sat prata bibere!" Latine, ut auditis, tum loquitur mecum, existimans Latinum sermonem unum esse, qui minis exprimendis sit dignus meque a plus bibendo abstineat. Nec falso! Nam simulatque illa verba dixit, bibendi finem facio. Nunc autem solvendum est. Pecunia debita solet esse satis magna, cum tot placentae totque vasa vini gratis non sint consumpta, sed pretium habeant. Puella cauponia advocata appropinquat et subducit rationem. Vae nobis ganeonibus! Quanta pecunia! Solvo et surgimus afflicti. Petimus penates, id est deversorium nostrum, lamentantes tantam pecuniam expensam esse pollicitique nobis ipsis numquam nos iam tam stultos futuros esse, ut ante cenam ventres et cerebra placentis vinoque impleamus. Sed ut sunt debilia viscera humana: postridie iterum deversorium "Kulm" intramus, placentarum vinique non minus quam pridie consumpturi. Nihilominus octo diebus post domum revertimus recreati.

Si forsitan vestrā, cari legentes, intersit scire, quo nomine sit deversorium, ubi per octo dies collocati simus, "Altein" appellatur estque urbis Turicensis a multis annis, deversorium satis amplum, ubi victus optimus praebetur optimeque hospites curantur pretii parvi. Hospites pro "Altein" conquirere mihi non est in animo, dico nisi verum nihil; nam nec sum consors vel particeps illius domūs neque est aliud quodcumque commodum, quod e laudanda illa domo capere possim. Rectorem autem domūs umquam lecturum esse hanc narratiunculam meam meque pro praemio gratis locaturum sperare non possum, cum imperitum sermonis Latini eum esse putem.

Dr. Emanuel Bernard

DE VINO

Notum est populos iam antiquos potionem illam uvis expressam et humanam mirabili modo mentem mutantem libenter bibisse poetasque eorum illius laudem magna voce cecinisse. Constat etiam homines omnium temporum gentium animique et corporis generum semper vino gavisos esse. At quis vestrum fabulam praeclaram illius Polyphemi, qui cupiditate vini sollicitatus uno oculo privatus est, ignoret? Eodem modo et hodie viri aliter fortes nec laboribus vitae nec dolis muliebribus aliisque incommodis humanis indulgentes facile caecantur et superantur.

Cottidie fere vini cultus celebratur: in baptizandis infantibus, in celebrando natali die, pridie Kalendas Ianuarias, in omnibus festis sanctis et profanis immoque in homine humando quam maximis vini copiis ventrem implere boni et probi viri esse videtur. Sunt etiam, qui vinum curas abluere seque antea maestos laetos reddere posse arbitrentur. Quam dementiam!

Alii contra inviti, sed verbis "Bibe nobiscum, ne sis tam obstinatus!" inducti metuentesque ignominiam, quam accipere se putant abstinentes, vinum potant.

Negare plerosque bibentes numquam vel raro damnis aliquibus affici nolim nec ipsius cuiusque guttis uvarum sanguinis invideam. Tamen milia et virorum et feminarum, immo adulescentulorum puellarumque vini cupidini obnoxiorum non memorare nequeo. Multa in cannabim aliaque venena praestigiis fallentia dicuntur - et merito! Sed ne obliviscamur venenum idem periculosum et multo plures afficiens, venenum enim Bacchi! Adsimus miseris temeto aegrotis, ne diutius irrideamus abstinentes! Nam facile est bibere societate bibente, verae autem virtutis est potius poculum liquore fallaci completum repudiare quam detrimenti aliquid seu corporis seu animae capere.

Festivos ut habeatis dies quam maxime sobrios, optat vester

Martinus Meier.

Non modo vinum, sed etiam musicam periculosam esse posse nos docet Mani Matter in suo cantu praeclaro de Eskimo (Eskimo indekl. m der Eskimo).

DE ESKIMO

=====

Notus vobis iam sermo
misero de Eskimo
in Groenlandia modo
tristi olim mortuo?

Quem implevit radio
musicarum gaudio;
dicens: "Et possum ego!"
incidit fato malo.

Nam se clavichordio
delectavit non novo,
quod pro vase oleo
emerat balaeneo.

Sed cum clavichordio
cecinisset in domo,
ursus intrat subito
captans eum unguo.

Semper ars periculo!
Sic defunctus Eskimo.
Et discendum ex eo:
ne tu clavichordio
delecteris non novo,
si eodem non fato
affici tu velis, quo
olim miser Eskimo!

(radio, -ionis f = Kurz-
form für radiophonia)

L O T T I

(Ds Lotti)

Verba repetenda: Lotti strabo, Lotti strabo,
oculos quo mittat, semper ignorabo,
Lotti strabo, Lotti strabo
est.

Sicut Catilina, quem acceperam
olim subvertisse totam publicam
rem, armis fuisse hostem maximum,
puella oculis est haec periculum.

Lotti strabo, ...

Nisi ignoratis posse oculos
puellae perturbare nostros animos,
duplex scitis esse hanc periculum
spectans semel, duos vulnerans virum!

Lotti strabo, ...

Cum migrat per vias, viri miseri:
linquit adamantes hic atque ibi.
Amor e sinistro mittit oculo
tela dextrum, in sinistrum e dextro!

Lotti strabo, ...

Eam esse puellam pulchram haud nego,
sed si eam vides, semper memento:
est periculosa simul puellula,
bis magis quam esse solet femina!

S O L V T I O N E S

=====

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:


Herr
Felix Horn
Furkastr. 87
4054 Basel

secundum praemium:

Fräulein
Regula Künig
Hebelstr. 81
4056 Basel

tertium praemium:

Herr
Ioannes Gubser
Pantelweg 22
4153 Reinach



ad perpendicularum :

1. nepos proavi
2. frangam
3. praenomen Romanum (contractum)
4. duae litterae
5. praepositio
6. mare
9. non antea
11. quasi artubus arboris
12. propheta
15. lacus ... sunt
16. quo omne animal utitur
17. pronomen personale

ad libram :

1. ops (synon.)
7. phalanx
8. negatio
10. pronomen personale aut demonstrativum
11. primus in regno
13. raeifixum indefinitum
14. candelabrum
17. in centro (fem.)
18. femina, quae emittet

Aenigma


~~QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST ! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM AD SORTEM~~

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST ! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA IDIBVS MARTIIS MCMLXXX EST!

PRAEMIA SVNT : primum praemium: LIBER
secundum praemium: LIBELLVS
tertium praemium: LIBELLVS

Hoc aenigma cum classe III b gymnasii Interlaciniensis incepti et domum finivi!

Bernardus Cristianus magister



QUOMODO PARIETEM ORNARE POSSIS

Inscriptiones lapidarias litteris Romanis scriptas nos omnes admiramur. Qua elegantia perfectissimaque gratia omnes litterae formatae sunt! Scriptura dicta monumentalibus vel capitalibus tam perfecta nobis videtur, ut postea nullo modo emendari potuerit. Gravitate rerum Romanarum, rei publicae Romanae maiestatem his ipsis litteris cognoscimus. Sed alterum est admirari, alterum proscribendae inscriptionis, sed etiam vobiscum auferenda haec sunt pauca consilia, quomodo inscriptiones reproduci possint. Facillime enim imitationem cuiuslibet inscriptionis lapidariae vel similitudinem conficias, multo accuratiorem quam photographis fieri possit.

Haec sunt quibus tibi utendum erit instrumenta:

- Charta tenax sed non nimis tenuis glutino carens (zähes, nicht zu dünnes, leimfreies Papier), similis ac quo uteris in colando (Filterpapier)
- Spongia mollis
- Peniculi (Bürsten) maiores vel minores, magis duriores quam leniores. Magno emolumento tibi erit peniculus illius modi quo lagenae purgantur (Flaschenputzer).

Incipias. Primo lapidem et eius inscriptionem, si necesse sit, peniculo et aqua fortiter et diligenter purges. Chartae integrae aqua immersae et ea de causa permadidae inscriptioni imponas. Spongia prohibeas, ne quid aeris sub charta remaneat; cum autem tota charta planissime supra lapidem (vel inscriptionem) iacebit, peniculi adhibebuntur. Plagis peniculi et levibus et rhythmicis imprimes chartam in locos depressos quibus litterae forman-

tur. Cave autem ne teras chartam! Aestate, sub Iove, breviter siccabitur charta. Chartam integram persiccata facile de lapide demas. Nunc tibi est similitudo inscriptionis minutulas particulas continens, sed, eheu te miserum, quasi per negativum. Et haec similitudo decori esse posset, sed si magis tibi placeat inscriptio a fronte, non a tergo visa, labore pergas.

Emas quod dicitur "Tapetensiegelklarlack"! Non dissimilis est ille liquor istius, quo mulieres ungues suos pingere solent, simili modo enim olet, ne dicam foetet. Hoc liquore omnes pori chartae obstruuntur, charta ipsa mox obdurescit. Nunc chartam in mensa ponas margineque circumdes. Gypso liquido inundes. Gypsum modo firmum e margine tollas, vertas et - ante oculos tuos splendet perfecta similitudo illius inscriptionis quam antea admiratus es. Si vis, rubro colore litteras pingas, ut melius conspici possint; inscriptio denique in pariete fixa verum decus erit tibi tuisque.

Nolo celare chartam idoneam non facile inveniri posse, sin autem talem chartam desideres, ad me litteras mittas.

Dr. Jürg Bleiker

DE LEGIBVS XII TABVLARVM

TABULA II

1.a. De rebus M aeris plurisve D assibus, de minoris vero L assibus sacramento contendebatur; nam ita lege XII tabularum cautum erat. At si de libertate hominis controversia erat, etiam si pretiosissimus homo esset, tamen ut L assibus sacramento contenderetur, eadem lege cautum est ... (Gaius 4,14)

1.b. "EX SPONSIONE TE MIHI X MILIA SESTERTIORUM DARE OPORTERE AIO. ID POSTULO AIAS AN NEGES."
"QUANDO TU NEGAS, TE PRAETOR IUDICEM SIVE ARBITRUM POSTULO UTI DES."

2. ... MORBUS SONTICUS ... AUT STATUS DIES CUM HOSTE ... QUID HORUM FUIT UNUM IUDICI ARBITROVE REOVE, EO DIES DIFFISSUS ESTO.

3. CUI TESTIMONIUM DEFUERIT, IS TERTIIS DIEBUS OB PORTUM OBVAGULATUM ITO.

Tabula II praescribit verba, quibus litis contestatio facienda est (lex 1.a. et 1.b.); causas enumerat, quas propter dies litis differenda sit (lex 2) et iubet, quod fit testi, qui actori reove defuit (lex 3).

▶ Lex 1 =====

Animo reducamus, quomodo litis contestatio peragatur: actione a praetore data testibus praesentibus actor et reus solemne formulas lege ad singulum verbum praescriptas orant.

Sicut causae litis contestationis inter se differunt, ita modi et formulae litis contestationis concepti sunt diversi.

Hoc vobis illustrare velim exemplis duobus.

Exemplum ad legem 1.a.

Ex grege Titi bos effugit. Titus bovem quaerens istum in pascuis Spurii reperit. Sed Spurius bovem dicit suum esse. Titus valde irascit et Spurium in ius vocat.

Ut scimus, Spurius subsequi debet. Etiam bos in ius ducitur!

In foro praetori causam dicunt. Pacificare nolunt. Cum ita sint praetor actionem dat. Testibus convocatis litis contestatio nunc exagitur:

Titus bovem capiens et festucā tangens dicit: "HUNC EGO BOVEM EX IURE QUIRITIVM MEVM ESSE AIO; SECUNDVM SVAM CAUSAM, SICVT DIXI, VINDICTAM INPOSUI."

Spurius quoque bovem festucā tangit eadem verba repetens.

Sed praetor intervenit:
"MITTITE AMBO BOVEM!"

Bovem mittunt. Nunc autem Titus Spurium interrogat:
"POSTULO ANNE DICAS QUA EX CAUSA VINDICAV-
VERIS."

Spurius contra dicit:
"IUS FECI, SICUT VINDICTAM INPOSUI."

Titus:
"QUANDO TU INIURIA VINDICAVISTI, QUINGENTIS
ASSIBUS SACRAMENTO TE PROVOCO."

Spurius:
"ET EGO TE."

Quid significat "L assibus sacramento pro-
vocare" ?

Litis contestatio facta et Titus et Spurius
L asses apud pontifices deponere debent, ita-
que summa deposita "sacramentum" appellatur.
Qui litem perdit, is etiam sacramentum suum
perdit, alterum licet asses suas recipere.
Videmus ergo sacramentum esse quasi sacrifici-
cium purgatorium eius, qui mendaci modo litem
obtinere conatus est. Summam magnam solvit
vir temere litigans: X asses enim sunt prae-
mium ovis, C asses pretium bovis!

Hoc exemplo dato spero legem l.a. vobis fa-
ciliorem esse comprehensu.

Verba principalia huius legis perventa non
sunt ad tempora nostra, sed Gaius* sententias
quidem eorum nobis tradidit.

* Gaius, iuris prudens praeclarus Romanus
saeculo secundo p. Chr. n. vixit et com-
mentarium ad XII tabulas scripsit.

Exemplum ad legem l. b.

Lucius a Marco genere suo in ius vocatus
est, quod dotem promissam CCC assium non
dedit et denegavit se dare oportere!

Etiam in iure Lucius denegat. Ergo praetor
actionem dat.

Litis contestationem Marcus his verbis in-
cipit:

"EX SPONSIONE TE MIHI CCC ASSIUM DARE
OPORTERE AIO. ID POSTULO AIAS AN NEGES."

Lucius iterum denegat.

Marcus:

"QUANDO TU NEGAS, TE PRAETOR IUDICEM SIVE
ARBITRUM POSTULO UTI DES."

Ut videmus, sacramenta nulla deponenda sunt
apud pontifices!

Iis formulis de stipulatione agitur, simili
modo etiam de familia herciscunda et de fi-
nibus regundis per iudicis arbitrive postu-
lationem sine sacramentis magni pretii (!)
litigatur.

▶ l e x 2

=====

causae diei (litis faciendae) diffindendae*

*diem diffindere = den Termin verschieben
temporibus antiquis "dies" semper masculini generis erat.

MORBUS SONTICUS

"sonticus" est morbus gravis vel contagiosus. Evidet hominem morbo contagioso affectum, si in ius venerit, toti urbi periculum esse.

STATUS DIES CUM HOSTE

hostis = peregrinus

Ut peregrino negotii causa Romam venienti mora nulla esset, dies litis inter cives Romanos faciendae diffindebatur.

CAUSAE CETERAE

lex 2 nobis modo fragmentis relicta est; qua de causa non dubitandum est, quin causae ceterae enumeratae fuerint. Quae, quales fuerint, ignoramus.

▶ l e x 3

=====

portus (testis, qui defuerit) = domus

obvagular = Geschrei, laute Schelte erhebend
umherschweifen

Testis, qui apud iudicem venire nolebat, deesse poterat. Facultas eum cogendi erat nulla. Sed, cum valde noceret ei, cui deesset, testis absens, lex permittebat istum hominem publice vehementissimo modo vituperari.

Maledicere alicui apud Romanos crimen gravissimum erat. Poena maxima ergo erat testi infideli tertiis diebus publice et consensu legis maledictum esse. Certe etiam finitimi huius hominis infidelitatem eius abhorrentes eum contemnabant vitabantque.

Libello proximo vobis exponam ea, quae viro factae sint, qui aes alienum non solvit.

PATRICIVS HARDMEIER

Ihre Bank: Bankgesellschaft



Schweizerische Bankgesellschaft



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(ich bestelle RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONVM DATVM ALICVI
Factura subnotationis mit-
tenda est ad adressam infra
stantem.


(ich bestelle RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
ET CHARTAM MITTE !

DOMICILIVM MEVM :



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich



AZ

8050 Zürich

1+2/80

KALENDIS FEBRVARIIS

MCMLXXX



RVMOR VARIVS

